



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 25. Occasione servitii Personalis sedes Esterensis deseritur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

CAPUT

XXV.

Oratione
servitii Per-
sonalis sedes
Esterensis
desertur.

Societas a-
cerdit exagi-
tatur.

Et præsertim
Didacus
Torres.

Socii se de-
ferunt.

Episcopus
Tucumanen-
sis Societati
adversatur.

Et plerique
omnes.

Societas
Esterensem
sedem dese-
rit.

SEd longè violentior turbo Sancti Jacobi Tucumaniz metropolim decussit, eò acrioribus civium animis, quò majori ibi, quàm alibi, Indorum numero primarii cives imperitabant. Igitur postquam innotuit Provincialis adventus, & cognito, quid Cordubæ atque in Chileno regno patrasset, amore in odium repente versò, collatis capitibus aiunt, eum demum esse Societatis morem, ut omnium conscientias inordinatâ religiofitate vexer: nimium justos à Deo ipso improbari: sub hoc justitiæ & defensionis pallio latere forsitan occultam habendi cupidinem, ac per manumissionem paucorum, multitudinis possessioni inhiati: Societatem religionis specie ac aliis artibus in sua commoda Indos libertati restitutos facillè tracturam: hoc nempe esse, quod occultis cuniculis, & impetratis ab Rege diplomatibus intenderet, ut per aliorum miseras gradum sibi faceret ad divitias. Hæc in universos Socios. Sed in Provincielem iactabant, ante ejus adventum in Provinciam, omnia olim pacifica fuisse: postquam advenisset, omnia turbati, Chilenum regnum, Tucumaniamque universam. His & aliis telis impetebantur Socii, qui quamvis sui purgandi ergò demonstrarent, ante Societatis in Peruviam adventum. Caroli Quinti & Philippi Secundi diplomata de abrogando servitio personali confecta fuisse: & constaret sub initium hujus sæculi, antequam Didacus Torres in Tucumaniam veniret, deque fundandâ Provinciâ Paraquariensi ageret, eadem decreta à Philippo Tertio fuisse renovata: nec ignoraretur Joannem Perez Chilensem Episcopum, requisitis doctissimorum virorum calculis, multò antequam eò Didacus Torres iret, servitium personale decreto damnassee: certumque esset in Provincielem, tantarum virtutum virum, Sociosque verè Apostolicos, injustam fictionis & cupiditatis notam minimè quadrare: affirmarentque Socii, se solâ religione adductos fuisse, ut regis decretis obtemperarent: tamen non audiebantur, palamque odio erant his, quos per viginti annos parentum loco habuerant. Adeo verò spissæ erant tenebræ omnium oculis offusæ, ut ipsum Episcopum, Societatis amantissimum, pro tempore ita involverint, ut non dubitarint Socii asserere, Solem ipsum eclipsum passum esse. Ecclesiastici viri, abalienato capite, sese etiam palam ab nostro consortio subtrahebant, subsidia vitæ, Sociis rerum omnium egentibus ab civibus dari solita, denegabantur: templum nostrum ab nemine frequentabatur: Indi omnes ad nos adire prohibebantur. Denique eò deducta res est, ut Provincielem compulerit ad deferendam sedem, præsertim cum satis ipse prævideret, postquam deserbuissent primi impetus, temporariâ absentia desiderium Societatis apud cives cætera non malos, & ad pietatem proclives, exacuendum: eoque postea æstimaturos magis, quò graviora Reipublicæ damna, eâ absente, sensissent. Accessit his causis Sancti Michaëlis Tucumaniz urbis postulatam, eo ipso tempore, quo hæc fiebant, coram Provinciali summa contentione Societatis Collegium postulantis; & Alfonsi Riberæ Prætoris autoritas, quinquaginta aureos in singulos menses offerentis, tamdiu persolvendos, quamdiu opus foret ad domum Sancti Michaëlis perficiendam, quorum votis fieri non poterat satis ob defectum Sociorum, nisi Sancti Jacobi sedes desereretur. Igitur plerique Socii, paucis civibus illacrymantibus, Sancti Michaëlis urbem petivère.

CAPUT

XXVI.

In Sancti
Michaëlis
urbe sedes
Societatis
erigitur.

De primis
Sancti Mi-
chaëlis urbis
fundatori-
bus.

Ab Divis
Simone &
Judas de-
feruntur.

URbs Sancti Michaëlis diu cum Sancti Jacobi civitate de Tucumaniz Primatu contendit: quippe illam Joannes Nunius Pradus, anno quinquagesimo superioris sæculi, triennio antequam hæc construeretur, condiderat. Sed quòd paucis post foundationem mensibus eluvione pœnè periisset, & ex ejus ruinis Sancti Jacobi urbs feliciter surrexisset, apud hanc imperium, & apud illam antiquitatis jus, remansit. Anno sesquimillesimo sexagesimo-quarto, Philippi Secundi Regis Catholici jussu, Sancti Michaëlis urbem Didacus Villaroëlus, Francisci Aguirræ, Tucumaniz Prætoris nepos, solidius instauravit. Instauratam Gualanus, Indorum in eâ regione potentissimus, aggressus, multis civium fœdè trucidatis, flammis deformavit, & absque dubio hostilis furor penitè absumpsisset, nisi Divi Simon & Judas, quorum festum agebatur, visibili specie, emissis undequaque terrificis splendoribus, Barbaros perterrefactos in fugam compulissent. Fugientium stragem, occiso

Gualano